

dentia, ergo antecederet ad accidentia, suppositum distinguitur a natura. Quomodo ergo sumitur argumentum ex distinctione accidentium ad distinctionem suppositi e natura, nisi forte procedatur a simili, quia sicut accidentia sunt extra conceptum quidditatis substantiæ, et tamen illi conveniunt, ita similiter subsistentia. Cæterum consequentia D. Thomæ non fundatur in eo quod suppositum constituatur per accidentia, neque in sola similitudine, seu iudicio quasi hoc ipsum quod natura est capax accidentium, quæ sunt extra suum conceptum, etiam debet habere subsistentiam, quæ sit extra rationem naturæ, hæc enim consequentia non apparet, quæ paritate nitatur, sed vis consequentiæ præcipue innititur in eo, quod accidentia, et natura uniuntur inter se inconfuse, et impermixte, ergo necessario debent uniri in aliquo tertio, quod substet utrique, et utrumque recipiat, et hoc debet esse extra conceptum naturæ. Et ratio est, quia solum dupliciter potest uniri unum alteri, vel quia sit unum cum illo immediate, vel quia cum illo unitur in aliquo tertio, ut dicit D. Thomas in III, dist. v, q. III, artic. I ad v, non potest autem accidens uniri primo modo naturæ, ergo solum secundo. Minor probatur, quia natura sub conceptu naturæ solum dicit id quo aliquid est tale v. g. humanitas id quo homo est homo, et ita concipitur per modum formæ, et significatur ut quo: quando autem unitur ei alia forma, quæ est accidens non potest comparari ad illud per modum formæ, sed per modum receptivi, et sustentativi illius, si quidem informetur accidentaliter ab illo. Ergo oportet quod talis natura sub alio modo consideretur, id est, non sub illo modo se habendi ut quo, sed sub alio modo, et terminatione se habendi ut quod,

qui modus, seu terminatio cum respiciat non solum prædicata quidditativa, et constitutiva, sed etiam extranea, et accidentia, quibus substet, oportet quod talis modus non sit prædicatum constitutivum naturæ, neque ad ejus constitutionem pertinens, sed habilans naturam ad recipienda extranea prædicata, eo quod recipere extranea non pertinet ad constitutionem naturæ, neque est recipere ipsa constitutiva prædicata, sed id quod extra constitutiva est: ergo sic recipere res extraneas non pertinet ad ipsam naturam secundum conceptum, et quidditatem naturæ, sed sub modo, et terminatione non pertinente ad quidditatem, scilicet sub ratione sustentandi alia, ideoque recipere contraria ponitur a philosopho inter proprietates substantiæ, non inter prædicata quidditativa.

XI. Dices: Etiam accidentia possunt recipere suas proprias passiones, et esse medium recipiendi alia accidentia, sicut quantitas est medium recipiendi qualitates, et potentia est ratio recipiendi actus. Secundo, instabis in ipsamet subsistentia, quæ est aliquid distinctum a natura, et tamen recipitur immediate in natura, ergo ad recipiendum aliquid extraneum, seu distinctum non requiritur aliquid præter naturam. E contra vero subsistentia divina non distinguitur a natura, et tamen immediate terminat naturam extraneam, ergo non requiritur aliquid distinctum a natura ad terminandum. Tertio, dato toto hoc, adhuc ratio facta non concludit, quod subsistentia distinguatur a natura, sed solum quod non sit de conceptu essentiali naturæ, bene enim stat quod aliquid identificetur cum aliquo, seu non distinguatur ab illo, et non sit de conceptu illius sicut rationale identificatur cum

animali in homine, et tamen non est de conceptu animalis.

XII. Ad primum respondetur, quod accidentia non recipiunt alia accidentia tamquam substans et ut quod, sed ut medium et ut quo, ipsa enim substantia se habet ut quod et ut substans sic accidentia solum disponunt substantiam, et præbent medium recipiendi alia non sustentandi, quando dantur plura, quæ ordinate recipienda sunt, unum post aliud. Quæ est solutio Div. Thomæ 1-2, quæst. VII, articulo I ad III.

XIII. Ad secundum respondetur, quod subsistentia proprie non recipitur in natura sicut accidentia, sed est modus naturæ substantialis reddens illam terminatam, et incommunicabilem, ut possit natura ipsa reddi substans, seu sustentans alia. Non repugnat autem talem modum, et terminationem licet non pertineat ad conceptum naturæ immediate tamen illi advenire, quia complementum illius est, et terminatio ejus, quod licet non constituat, complet tamen naturam in ratione termini, ideoque natura dicit immediatum ordinem ad ipsum tamquam ad complementum sui generis, et non omnino extraneum a se: at vero accidentia non pertinent ad complementum naturæ, neque illam terminant in suo proprio, et substantiali esse, sed aliud novum esse superaddunt. Unde non potest natura substantialis immediate ordinari ad tale esse recipiendum in ipsa natura sub conceptu naturæ, sed mediante aliquo, quod sit extra conceptum illius. Imo ad recipiendum ipsum esse substantiale existentiae, quia accidentaliter, et non quidditative convenit non potest immediate illud recipere sub conceptu naturæ, sed sub conceptu subsistendi determinate, et ut quod, ut postea dicetur. Est simile in ipsa substantia, in quantum operativa, nam quia operatio

est actualitas quædam accidentaliter conveniens operato creato, ideo non potest immediate ordinari ad operationem, sed mediante potentia, quæ est accidens superadditum substantiæ, ipsius tamen potentiae substantia est immediate capax, et immediate ab ea dimanat, quæ se habet, ut instrumentum complens substantiam in genere operativo. Ad id vero, quod dicitur de subsistentia divina respondetur, quod illa non distinguitur a natura divina, quia in Deo nihil extraneum recipitur, nec diversum esse habens, quod vero possit subsistentia divina terminare alienam naturam, hoc non est recipere aliquid adveniens naturæ divinæ, sed supplere vicem suppositi alieni terminando naturam creatam, ad quod non requiritur quod distinguatur a natura divina, sed a natura creata, quam terminat propter infinitam eminentiam, quam habet ad supplendam vim suppositi proprii.

XIV. Ad tertium respondetur ex doctrina D. Thomæ quodlibet II, art. IV ad I, quod dupliciter aliquid potest accidere alicui præter rationem ejus. Uno modo quia non cadit in definitione rei, sed tamen determinat, et contrahit illam essentialiter, et ita licet non constituat ipsam in se, tamen cum ipsa constituit aliquam essentialitatem, quia determinat gradum superiorem. Alio modo dicitur accidere alicui rei, quia nec constituit ipsam essentialiter, nec cum ipsa aliquid tertium per essentialitatem determinationem. Primo modo bene stat, quod aliquid dicatur alicui accidere quatenus non est de quidditate ejus, et tamen identificari cum illo dicatur, sicut rationale identificatur cum animali licet non constituat ipsum, tamen quia determinat, et contrahit ipsum essentialiter, identificari potest cum eo in aliquo tertio, quod constituunt, et

consequenter etiam inter se, quia quæ sunt eadem uni tertio sunt eadem inter se. Quæ vero secundo modo accidunt, non possunt identificari, sed necesse est, quod sit aliquid distinctum realiter, vel modaliter, et hoc modo se habet subsistentia respectu naturæ, et similiter existentia, quia nec naturam essentialiter constituunt, neque essentialiter contrahunt, et determinant, ut aliquod tertium essentialiter constituantur, sed rei constitutæ adveniunt habenti omnia prædicata constitutiva, ut patet in Christo Domino, in quo est tota, et integra natura humana, et omnia quæ pertinent ad speciem, et gradum illius non minus quam in aliis hominibus, et tamen non habet subsistentiam, ergo non pertinet subsistentia ad constituendam essentiam, neque ad determinandam illam essentialiter.

SECUNDA DIFFICULTAS.

XV. Circa secundam difficultatem res fuit olim valde controversa, quia importaret de formali persona, seu supposito, et quid adderet supra naturam. De qua re septem opiniones refert, et late tractat Cajetanus III p. q. IV, art. II; p. Suarez, disp. XXXIV met. supra citata; magister Medina, III p. qu. IV, art. II et Bagniez, I p. q. III, art. III. Nos in qu. VII physicor. solum retulimus duas famosiores. Primam eorum, qui dicunt esse aliquid positivum: secundam eorum, qui dicunt esse aliquid negativum. Et hoc secundum rejecimus, primum vero statuimus. Sed circa hoc positivum quid sit ibi non explicavimus, quia res ista magis est metaphysica, et theologica, ibi autem sufficiebat tam leviter tangere. Nunc ergo dicimus omnes illas sententias reduci ad tres principales. Prima, quod suppositum so-

lum addit supra naturam negationem dependentiæ actualis, vel aptitudinalis ad aliud, cujus sit pars, vel forma inhærens, nam subsistentia negat inhærentiam, et negat esse partem.

XVI. Secunda sententia principalis fatetur subsistentiam addere aliquid positivum supra naturam, sed dividitur in alias duas sententias. Nam quidam explicant hoc positivum non per aliquid absolutum, et intrinsece conveniens ipsi substantiæ, sed per connotationem alicujus extrinseci, ad quod dicitur ordinem, ita quod subsistentia est ipsamet natura prout connotat, seu dicitur ordinem ad res extrinsecas, quas recipit sive sit ipsa existentia, quæ in sententia D. Thomæ distinguitur ab essentia, sive sint accidentia, vel operationes, quæ ad existentiam requiruntur, vel consequuntur. Qua ratione videtur nos posse interpretari D. Thomam quando distinctionem suppositi a natura sumit per hoc, quod suppositum est capax accidentium, non autem natura secundum se.

XVII. Tertia denique sententia dicit subsistentiam addere aliquid reale absolutum intrinsece efficiens substantiam, et communiter ponitur esse quidam modus substantialis, seu terminus ejus ultimus, licet attribuant Cajetanus, citato loco III part. et Ferrariensis, IV contra gentiles, capit. XLIII, quod dixerint esse realitatem distinctam a natura, et existentia, de quo statim dicemus.

XVIII. Supposito ergo quod subsistentia non addat solum negationem dependentiæ supra naturam, ut ostendimus quæstione VII physicor. citata, resolutio in præsentem est, quod subsistentia addit supra naturam non solum connotationem aliquam, vel ordinem ad rem extrinsecam, sed positivum aliquid efficiens per intrinsecam denominationem ipsam

substantiam, et probabilius mihi est esse modum substantialem, quam realitatem aliquam distinctam a substantia tamquam res a re. Hæc communior sententia modo inter auctores, præsertim Thomistas, de qua videri possunt Cajetanus, Ferrariensis, Bagniez, Medina citati, Alvarez, III p. disp. XXIII, Suarez, disputatione XXXIV, met. citata, sectione IV, et alii.

XIX. Prima pars hujus conclusionis ex eo deducitur, quia omnes istæ connotationes, seu respectus ad extrinsecam supponunt naturam, jam esse incommunicabilem, et ultimo terminatam in se, si quidem non dicitur ordinem ad ista extrinseca, ut extra se posita sed ut in se recepta, non autem posset illa recipere impermixte, et inconfuse cum natura, nisi recipiens haberet incommunicabilitatem, ratione cujus omnes illæ formæ extrinsecæ reciperentur sine confusione cum natura, et taliter quod ulterius non communicarentur alteri subjecto, seu sustentanti. Igitur ordo, seu connotatio ad extrinsecam recipienda in se est ordo, et respectus subjecti ultimo terminati, et incommunicabilis ad aliud sustentans, seu substans illi, ergo jam supponit naturam subsistentem, et ita non potest differre natura, et suppositum per solam diversam connotationem, et respectum ad diversa connotata extrinseca, vel ex solo diverso modo significandi eamdem rem. Probatur consequentia, quia vel talis respectus, et connotatio fundatur immediate in ipsa natura secundum conceptum naturæ, vel in aliquo illi superaddito. Si in aliquo superaddito, ergo præter connotata extrinseca est aliquid in ipsa natura superadditum, ratione cujus habet illum respectum ad talia connotata. Si nihil superadditur, ergo natura ex se, et ex proprio conceptu naturæ respicit illa extrinseca,

quod est respicere illa tamquam proprias passiones, et sic solum in ordine ad proprias passiones constituetur suppositum: imo et ipsa natura secundum conceptum naturæ erit suppositum, si secundum se fundat illum respectum, et connotationem, in qua dicitur consistere suppositum. Unde ulterius sit, quod cum in Christo sit natura humana secundum totum conceptum naturæ, et habeat ordinem ad proprias passiones, et ad extrinseca accidentia sibi adjuncta, et in se habita, dicitur illa natura suppositum, et persona, atque adeo erunt duæ personæ in Christo, quod est contra fidem.

XX. Quod si dicatur, humanitatem Christi in sententia D. Thomæ carere propria existentia, et consequenter non dicere ordinem ad illam, præcipuus autem ordo, et connotatio extrinseca subsistentiæ est respectu existentiæ, quia constituit substantiam existentem per se, et secundo dicit respectum ad accidentia. Unde cum humanitas Christi careat connotatione, et respectu ad propriam existentiam, caret etiam propria personalitate. Sed contra hoc est. Primo, quia sic res certa secundum fidem fundabitur in aliquo valde incerto, scilicet quod natura dicat ordinem immediate ad existentiam, et careat illa in Christo non obstante hoc, quod natura dicit immediatum ordinem ad illam. Nam quod D. Thomas negaverit in humanitate Christi propriam existentiam III p. quæst. XVII, art. II, ideo est, quia censet naturam non esse immediate capax existentiam, sed suppositum; si vero natura immediate esset capax illius, nullo modo careret existentia propria in persona Verbi. Secundo, quia stando in doctrina div. Thomæ in illa re est ordo, et capacitas ad extrinseca prædicata, et connotata, in qua inveni-

tur receptio ipsa actualis talium prædicatorum, constat autem quod existentia, et accidentia recipiuntur in ipso subjecto, in quo sustentantur non secundum extrinsecam denominationem, vel connotationem, sed realiter, et intrinsece, ergo in eodem subjecto debet esse capacitas, et habitudo ad talia extrinseca, et ita intrinsece debet illi convenire dicta capacitas, et habitudo, sicut convenit ipsa receptio. Sed secundum D. Thomam sola natura non dedit capacitatem hanc, neque istum ordinem, sed hypostasis, seu suppositum, et ita non datur in natura sine supposito: sicut natura humana in Christo non est capax existentiae creatæ secundum D. Thomam neque filiationis creatæ, ut docet III p. quæst. xxxv, art. v ad 1, ergo id quod addit hypostasis supra naturam non est sola extrinseca connotatio, sed aliquid realiter, et intrinsece conveniens illi subjecto, cui convenit intrinsece recipere existentiam, et alia accidentia.

XXI. Quare suppositum intrinsece, et realiter convenit ipsi substantiæ, ponit enim effectum formalem in ipsa quatenus reddit illam terminatam, et substantem, seu sustentantem ea quæ in se recipiuntur, quæ sustentatio, et receptio non convenit substantiæ per solam connotationem, seu denominationem extrinsecam, sed per intrinsecam convenientiam, seu denominationem.

XXII. Secunda pars conclusionis, quod scilicet id quod addit subsistentia supra naturam sit modus, et non realitas distincta, non est omnino certum etiam inter Thomistas. Nam quidam ex antiquioribus dixerunt esse modum, ut Victoria Soto, et alii, et probabile reputat Bagnez ubi supra, et Medina, licet ipsi oppositum teneant citantque pro se Cajetanum. Qui tamen citato loco III

part. in primo, et secundo corollario de identitate, et inseparabilitate huius termini, seu subsistentiæ a natura dicit, quod iste terminus est quodammodo idem, et quodammodo non idem, sicut terminus est terminans quasi idem, et quasi non idem, est enim aliquid ejus, scilicet terminus, et non est illud, ut patet de puncto, et linea. Et subdit Cajetanus quod potest natura fieri sine suo termino in actu; non autem e converso. Quæ omnia sunt signa modalis distinctionis. Et in hac quæstione II, art. II expressius dicit, quod subsistentia, et natura non distinguuntur distinctione inter rem, et rem. Est etiam expressa sententia D. Thomæ qui in quæstione IX de potent. art. I ad I dicit: « Esse modus existendi in singulari substantia, » et art. II: « Persona, inquit, significat naturam cum quodam modo existendi, qui modus est esse per se existens. » Idem sumitur ex I sent. d. XXIII, q. I, ar. I ad II et I p. q. xxx ad I, ubi dicit: « Individuum vagum significare naturam cum determinato modo essendi, qui competit singularibus, ut scilicet sit per se subsistens. » Et ad II inquit: « Quod ipse modus existendi incommunicabiliter potest esse communis multis. » An vero principia individualia unde sumitur iste modus, sint distincta realiter in rebus materialibus, licet non in spiritualibus, infra dicemus.

XXIII. Ratio vero est, quam diximus q. VII physicor. art. I, quod subsistentia se habet, ut terminatio substantiæ, inde enim sequitur quod subsistentia non datur tamquam extremum componens, sed ut terminatio ipsa, seu totalitas completa, et resultans ex compositione, aut constitutione omnium partium, seu prædicatorum substantiæ, ergo non se debet habere, ut realitas, sed ut modus; dat enim statum quemdam, seu modum essendi ipsi rei, quam

afficit sicut punctum dum terminat lineam, ipsum terminare modificare est, et esse terminatam non est aliud, quam sic esse modificatam, ut non ulterius se extendat, aut componat cum alio, sed ibi sistat. Repugnat autem, quod id quod se habet ut terminus formalis, seu ratio terminandi in aliqua compositione sit realitas, et non modus, nam id quod se habet, ut realitas componere debet cum eo, cui adjungitur, ut ex illis resultet aliquod totum per se, vel per accidens, ipsa vero ratio totalitatis, seu terminationis, et ut sic dicam ultimationis, non potest se habere ut ultima ratio, et terminatio compositi, ergo non potest esse realitas componens, sed modus resultans ex compositione, vel ex integritate totius. Si autem resultaret ut realitas, rursus deberet uniri et componere cum re, quam afficit; hæc enim est differentia inter realitatem, et modum, quo realitas conjungitur alteri per unionem cum illo, modus vero se ipso modificat, et identificatur, cum realitate seu cum re cujus est modus, si quidem non differt realiter ab eo.

XXIV. Unde si id quod se habet ut terminus, et tamquam terminatio ultima esset realitas deberet uniri rei, quam terminat et inde resultare aliud totum, et alia terminatio, et non totum per accidens, quia unio subsistentiæ accidentaliter non est, sed substantialis, et per se, ut patet in unione humanitatis ad Verbum, ergo deberet resultare alia terminatio, et ultimatio ex tali unione, et compositione, et sic esset processus in infinitum, quod nullo modo est admittendum, præsertim in compositis per se, sicut sunt substantialia, quibus competit ipsa subsistentia.

XXV. Quod vero substantia sit ultimum complementum, seu terminus substantiæ, constat manifeste, quia persona, seu hypostasis dicit

rem maxime completam, et incommunicabilem, opponitur enim rationi partis, et rationi inherens, quod esse non potest, nisi dicat terminationem, et ultimationem in genere substantiæ, et idcirco dicitur per se existens, et subsistens, et substans quasi sub omnibus ultimate sistens, de quo videri potest Div. Thomas in III, distinct. v, quæst. III, articul. III, debet ergo dicere modum ipsius totalitatis et terminationis non realitatem superadditam, realitas enim potius se habet ut componens, quam ut terminatio ipsa compositi, seu totius. Et confirmatur quia totum, et totaliter differunt, et res et modus, quia ly totaliter importat modum totalitatis, ipsum vero totum rem ipsam, seu substantiam, sed suppositaliter, seu subsistentia dicit totum, ut totaliter, seu incommunicabiliter se habens. Ergo addit supra substantiam non realitatem, sed modum rei, scilicet totaliter se habere, seu per modum totius. Et confirmatur secundo, quia esse partem, vel esse inherens importat modum, et non realitatem distinctam supra ipsam naturam partis, vel accidentis, non enim accidens distincta realitate indiget ad inherendum, nec pars ad partialiter se habendum, ergo neque totum, ut totaliter, et terminative se habeat non indiget realitate, sed modo, quia opposito modo se habet ad partem, et ad inherens. Denique, suffragatur commune axioma, quod realitates non sunt multiplicandæ sine causa, neque in rebus immaterialibus alia distinctio poni debet, quam modalis inter subsistentiam, et substantiam. Et in divinis personalitas concipitur tamquam modus, dicuntur enim pertinere ad essentiam, ut modus, non ut res constituens.

XXVI. Denique, ex hoc intelligi